



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Ejusdem capitulare secundum sive Liptinense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

KARLOMANNI PRINCIPIS CAPITVLARE SECUNDVM

Datum anno Christi DCCXLIII. apud Liptinas.

INCIPIVNT CAPITVLA.

1. **D**e prioris synodi capitulis communis consensu receptis & approbatis.
2. **D**e pecunia ecclesiastica sub precario & censu in subfidiū exercitus praefenda.
3. **D**e incestis matrimonii; & ut mancipia Christiana pagani non tradantur.
4. **V**i qui paganas observationes in aliqua re fecerit, quindecim solidis multetur.

INCIPIVNT PRÆDICTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

*De prioris synodi capitulis communis consensu
receptis & approbatis.*

Liber v. Capitulum c. 3.
Moddò autem in hoc synodali conventu, qui congregatus est ad Kalendas Martias in loco qui dicitur Liptinas, omnes venerabiles sacerdotes Dei & Comites & Praefecti prioris synodi decreta consentientes firmaverunt, sc̄que ea implere velle & observare promiserunt. Et omnis ecclesiastici ordinis clerici, Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, cum reliquis Clericis, suscipientes antiquorum patrum canones, promisebunt se velle ecclesiastica jura moribus & doctrinis & ministerio recuperare. Abbat̄es verò & monachi receperunt regulam sancti patris Benedicti, ad restaurandam normam regularis vita. Fornicatoris namque & adulteros Clericos, qui sancta loca vel monasteria antē tenentes coquinaverunt, præcepimus inde tollere & ad penitentiam redigere. Et si post hanc definitionem in crimen fornicationis vel adulterij ceciderint, prioris synodi iudicium sustineant. Similiter & monachi & nonne.

*De pecunia ecclesiastica sub precario & censu
in subfidiū exercitus praefenda.*

I. Statuimus quoque cum consilio servorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella & persecutions certarum gentium que in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem ecclesiasticae pecuniae in adjutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione ut annis singulis de unaquaque casta solidus, id est, duodecim denarij, ad

Tom. I.

Ecclesiam vel monasterium reddantur; eo modo ut si moriatur ille cui pecunia commoda fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum, si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renoveret, & rescribatur novum. Et omnino observetur ut Ecclesia vel monasteria penuriam & paupertatem non patiantur quorum pecunia in precario praestata sit. Sed si paupertas cogat, Ecclesia vel domui Dei reddatur integra possessio.

*De incestis matrimonii; & ut mancipia
Christiania pagani non tradantur.*

III. Similiter præcipimus ut juxta decreta canonum adulteria & incesta matrimonia, que non sunt legitima, prohibeantur & emendentur Episcoporum judicio. Et ut mancipia Christiana pagani non tradantur.

*Vt qui paganas observationes in aliqua re
fecerit, quindecim solidis multetur.*

IV. Decrevimus quoque, quod & pater meus antē præcipiebat, ut qui paganas observationes in aliqua re fecerit, multetur & damnetur quindecim solidis.

INDICVLVS SVPERSTITIO. NVM ET PAGANARVM.

- I. **D**e sacrilegio ad sepulchra mortuorum.
- II. **D**e sacrilegio super defunctos, id est, dadiſas.
- III. **D**e spurcalibus in Febr.
- IV. **D**e caſulis, id est, fanis.
- V. **D**e sacrilegiis per Ecclesiās.
- VI. **D**e sacris silvarum, que Ni- midas vocant.
- VII. **D**e his quæ faciunt super pe- tras.

K ij